



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Militia Sacra || Ducvm Et Principvm || Brabantiaë,||

Molanus, Johannes

Antverpiae, [1592]

De sacra militia Godefridi Gibbosi, Ducis Lotharingiae, quam geßit in
Marchia Lotharingiae & Marchia Italiae. Cap. XLVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-38114

tatus supra Lambertus: Leo Papa Imperato-
ri anno CIO. LI. Wormatiæ valesciens, me-
diocriter compositis & causis Ecclesiasticis &
regni negotiis, Romam reuersus est, abdu-
cens secum Godefridum Ducem, & fratrem
eius Fredericum, qui Gebehardo postmo-
dum in Apostolica sede successit: item alios
quam plures tam clericos quam laicos in
re militari probatissimos. Quorum virtute
Nordmannis, qui Apuliam occupauerant,
obuiam ire parabat. Addit apud Beneuen-
tum quoque per Godefridum deprehensos
esse hæreticos & suspensos.

*De sacra militia GODEFRIDI Gibbosi, Du-
cis Lotharingæ, quam gessit in Marchia Lo-
tharingæ & Marchia Italia.*

C A P. XLVI.

QUAMVIS Henricus IV. Imp. nihil præ-
clare pro Ecclesia gesserit, sed ob inuesti-
turam fœdum schisma cōtra Gregorium VII.
fouerit, in quo etiam Imperio exutus, &
anathemate innodatus, Leodij obierit; qui
tamē ex eius beneficio Duces fuerunt Lotha-
ringiæ, militiam suam Ecclesiæ consecrarunt.

Inter quos primus est Godefridus Gibbo-
sus, ciuitatis Delphensis in Hollandia condi-
tor. De quo apud Sigebertum legitur ad an-
num ∞ .LXX. Gerardus Dux Mosellanorū
moritur. Moritur etiam Dux Godefridus.
Gerardo filius eius Deodericus, Godefrido
succedit

*Hic fuit XI.
Brabantia
Dux ex be-
neficio Imp.*

succedit filius eius Godefridus Gibbosus, et si corpore exiguus, tamen animo eximius.

ad annum
1076.

Qualis in militia fuerit pulchrè explicat Lambertus Scafnaburgensis. Licet, inquit, naturæ pusillitate atque gibbo despicabilis videretur, opum tamen gloria, & fortissimorum militum copia, prudentiæ quoque maturitate, postremò totius vitæ temperantia longè ceteris Principibus supereminebat: magnum Teutonici regni robur ac munimentum Werdunis iuxta patrem sepultus.

Et infrà de eius vxore loquens, Mathildis, filia Bonifacij Marchionis & Beatricis Comitissæ, quandam viduitatis speciem eo viuente prætendebat, cum nec ipsa maritum in Lotharingiam extra natale solum sequi vellet; & ille Ducatus, quem in Lotharingia administrabat, negotijs implicitus, vix post tertium vel quartum annum semel Marcham Italicam inuiseret.

De bellis assiduis quæ pro tuenda Ecclesiæ auctoritate administravit MATHILDIS Lombardiæ & Tusciæ Dux, Canusijq; Comes, vidua Godefridi Gibbosi Ducis Lotharingiæ.

C A P. X L V I I.

Mathildis
vidua XI.
Ducis Bra-
bantie bene-
ficiarij.

SED nec ea omittenda sunt quæ pro Ecclesia præclarè gessit Domina Mathildis, marito suo Godefrido viduata. Siquidem Carolo Sigonio teste, die vigesima quarta Iulij, anno C I D. C. X V. in Polirone monasterio, inter